

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII. 149

servandam, ex omni parte professio tollit jus petendi & reddendi debitum conjugale; si vero ignara fuit istius obligationis ac ita presumitur consensisse salvo suo jure, professus ad uxorem revocandus reddere non tamen petere debitum debet, mortuam vero uxore ad monasterium redire debet, ex cap. ex parte 9. cap. consuluit 10. cap. veniens 16. de convers. conjug. invitam vero vel ignorantem conjugem emissa nec per ejus consensum superveniente ratificata professio & est illicita & invalida nullam inducens obligationem, nisi expressè independenter à statu religioso emissum fuisset votum castitatis; tunc enim deberet vivente conjugi abstinere à petitione debiti, & eam defunctam illicite licet validè novum contrahit matrimonium, qui casus est cap. placet 12. de convers. conjug.

DISPUTATIO XLIX.

De impedimentis matrimonii & unde oriuntur?

Impedimentum matrimonii dicitur omne illud, quod obstat, quominus matrimonium inter alias personas contrahi possit, alia sunt impedimenta impudentia, alia dirimentia, illa sunt, quae solum impediunt, quominus licite matrimonium contrahatur, quamvis matrimonium cum tali impedimento illicite contractum sit validum; haec sunt, quae obstant, & faciunt, ut neque licite neque validè matrimonium contrahatur.

QUÆSTIO I.

*A quo possintponi, quot & quæ sint impedimenta
impudentia & dirimentia?*

DICO I. Matrimonium in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est, Sacramentum statuitur jure divino: in quantum est in officium communitatis, statuitur lege Civili. Et ideo

ex quilibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima. S. Th. in suppl. Q. 50. a. un ad 3.

Explicatur Conclusio : Sicut alii contractus non possunt à quibusvis personis iniri, sed tantum à personis habilibus, & aliquæ personæ vel ex natura rei vel ex ordinatione Dei vel Magistratū sunt ad contractus inhabiles, ita & contractus matrimonii potest tantum iniri à personis habilibus, & possunt esse inhabiles vel ex natura rei v. g. perpetuò impotentes vel circa personam errantes, vel ex ordinatione Dei aut potestatis humanæ, ut in decursu de impedimentis in particulari dicetur ; quod autem detur in Ecclesia potestas non tantum aliquando matrimonium prohibendi sed etiam impedimenta dirimentia statuendi definivit Trident. sess. 24. de reform. matrimonii Can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta dirimentia vel in iis constituendis errasse, Anathema sit.* Quamvis verò matrimoniis non Baptizatorum à principibus sive infidelibus sine fidelibus possint statui impedimenta: cum talia matrimonia sint tantum contractus ad officium naturæ & communitatis bonum ordinati, & reipublicæ multum intersit, ut connubia rectè contrahantur, idè respublika, sicut aliquas personas ad certos contractus inhabilitare potest, ita etiam ad contrahendum matrimonium in certis circumstantiis incapaces reddere potest ; attamen quoad matrimonia Baptizatorum vel principes sæculares talem potestatem nunquam habuerunt, vel si illam absolute haberent, in ejus usu impediuntur, è quod postquam matrimonium elevatum est ad rationem Sacramenti, potestem statuendi impedimenta sibi reservavit Ecclesia, ad quam solam pertinent causæ matrimoniales ut Trident. declaravit sess. 24. Can. ult & quidē competit soli Pontifici supremo Ecclesiæ capitī. Idem probatur ex cap. tuam

DE IMPEDIMENTI MATRIM. & UNDE ORIAN. 551
3. de ord. cognit. lib. 2. tit. 10. in quo causa natalium
velut accessoria matrimonio Ecclesiastico judicio termi-
nanda declaratur & S. Th. in 4. dist. 42. Q. 2 a. 2. ad
4. aperte docet: *Quod prohibitio legis humanae non
sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interve-
niret auctoritas Ecclesiae, que idem etiam interdicit.*
Neque competit hæc potestas statuendi impedimenta
matrimonii pro suis Diœcesibus aliis Episcopis: quia
soli summo Pontifici & Concilio generali reservata est,
ut possint ponere impedimenta vel per legem scriptam
habentem vim ab expressâ voluntate, vel per legem non
scriptam aut consuetudinem habentem omnes legitimæ
consuetudinis conditiones, quæ habet vim ex voluntate
legali juxta alibi dicta, per quam & aboleri & de novo
induci possunt impedimenta matrimonii.

DICO 2. *Impedimenta, quæ contrariantur his,*
*que sunt de solemnitate hujus Sacramenti, non effi-
ciunt, quin sit verum matrimonium & talia dicun-
tur impedire matrimonium contrahendum sed non diri-
munt contractum... impedimenta autem, quæ con-
trariantur his, quæ sunt de essentiâ matrimonii, fa-
ciunt, ut non sit verum matrimonium: & ideo dicun-
tur non solum impedire contrahendum sed dirimere
jam contractum. S. Th. in suppl. Q. 50. a. un. O.*

*Conclusio per te evidens continet distinctionem
impedimentorum, quorum aliqua dicuntur dirimen-
tia, aliqua impedientia.*

*Impedimenta dirimentia enumerantur sequentibus
vulgatis versibus.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibus,
Si Parochi aut duplicitis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti redditia tutæ,
Hac facienda vetant, connubia facta retractant.*

Impedimenta impedientia solent numerari quinque comprehensa hoc versu.

Votum, Interdictum, Feriae, Sponsalia, Crimen.

Primum igitur impedimentum impediens est votum simplex castitatis, quod potest esse quadruplex. 1. Votum castitatis integræ & perpetuæ. 2. Votum religionis ingrediendæ & profitendæ. 3. Votum suscipiendi sacros ordines. 4. Votum cælibatū vel non nubendi, omnia hæc vota matrimonium impediunt & reddunt illicitum ipso jure naturæ & divino expresso his verbis: vovete & reddite Domino. Et ligatus tali voto contrahens cum intentione consummandi matrimonium peccat mortaliter.

Secundum impedimentum est prohibitio Ecclesiæ, quæ tunc matrimonium impedit, quando ordinarius Episcopus, vel Pastor inhibuit, ne vel ob suspicionem impedimenti vel ob interesse tertii matrimonium contrahatur, tunc sponsi mortaliter peccant non obstante hâc prohibitione contrahentes, & consummantes matrimonium, huc etiam spectat interdictum juris communis, ne sponsi matrimonium contrahant absque præmissâ trinâ proclamatione, in cujusque Parochiâ tribus Dominicis vel festis diebus à Parocho factâ.

Tertium impedimentum: feriae sunt tempus ab adventu Domini usque ad festum Epiphaniæ inclusivè & à feriâ 4tâ Cinerum usque ad 8vam Paschæ inclusivè, quo tempore prohibentur ab Ecclesia solemnies nuptiæ, quæ cum solemnî sponsorum benedictione cum signis publicæ lætitiae cum festivâ traductione sponsæ ad domum sponsi celebrantur.

Quartum impedimentum impediens sunt sponsalia, quæ semel legitimè contracta impediunt jure naturæ, ne licite matrimonium contrahatur cum aliâ personâ, nisi prius desponsata consentiat, aut justa causa subsit dissolvi

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 553

vendi priora sponsalia & hæc in omnium sententiâ ho-
diedum adhuc sunt in usu.

Quintum impedimentum: crimen complectitur non
omnia sed aliqua in jure determinata gravia crimina,
quorum rei non permittebantur matrimonium contra-
here, & continentur sequentibus versibus.

*Incestus, raptus sponsatæ, mors Mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœnitentia solemniter, aut moniale
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

Incestus cum consanguineis propriæ conjugis intrâ
secundum gradum commissus impedit matrimonium
ex cap. si quis 1. cap. veniens 2. cap. transmissæ 4. de eo.
qui cognovit &c. lib. 4. tit. 13.

De raptu sponsatæ dicitur in cap. statutum 34.
Caus. XXVII. Q. 2. Statutum est à Sacro conventu,
ut si quis sponsam alterius rapuerit, publicâ pœnitentiâ
mulctetur & sine spe conjugii maneat.

Uxoricidium, quo vir uxorem non repertam in fla-
granti adulterio occidit, punitur privatione conjugii
in Can. interfectores §. Caus. XXXIII. Q. 2. quod ad
viricidium non extenditur: quia rarius est ab uxori-
bus interfici viros, quam econtrà.

De propriam prolem suscipiente dicitur in cap. de
eo §. Caus. XXX. Q. 1. Si conjuges legitimi, unus
aut ambo, ex industria fecerint, ut Filium suum de
fonte susciperent, si innupti permanere voluerint, be-
num est: sin autem, gravis pœnitentia insidiatori injun-
gatur & simul maneant, & si prævaricator conjugii su-
pervixerit, acerrimâ pœnitentiâ mulctetur & sine spe
conjugii maneat.

De occidente Presbyterum statuitur in cap. qui Pres-
byterum 2. de pœnit. & remis. lib. §. tit. 38. Convictus
usque ad ultimum tempus vite sue militia cingulo ca-
reat, & absque spe conjugii maneat.

Solem-

Solemniter pœnitentibus interdicta esse conjugia supponitur in Can. de his 12. Caus. XXXIII. Q. 2. In quo Siricius P. *Qui acta pœnitentia tanquam Canes accusas ad vomitus pristinos & volatbra redeuntes & militia cingulum & ludicras voluptates & nova conjugia & inhibitos denuò appetivè concubitus.*

Denique de iis, qui sacrilegas cum personis Deo per votum solemne dicatis nuptias contrahere attentant in Can. hi ergò 13. Caus. XXVII. Q. 1. decernitur: ut juxta censuram zeli Christiani separentur & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari, & in pœnitentiae lamentis se vehementer, dum vivunt, afficiant. Cæterùm fusius de his impedimentis ex criminis ortis agendum non est: quia usu & consuetudine sublata sunt, dum horum criminum rei videntibus & non contradicentibus Ecclesiæ prælatis sine dispensatione matrimonia contrahunt, quod manifestum facit Canones contrarios esse abolitos.

Impedimentorum dirimentium numeri (exceptâ clandestinitate & raptu, quæ ante con. Trid. non erant impedimenta dirimentia) rationem S. Th. loc. cit. ita exponit: potest Matrimonium impediri aut ex parte contractus Matrimonii, aut ex parte contrahentium, si primo modo, cum contractus Matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam & per violentiam, erunt duo impedimenta Matrimonii scilicet vis, id est coactio & error ex parte ignorantie... ex parte personarum contrahentium... potest aliquis impediri à Matrimonio contrahendo vel simpliciter vel respectu alicujus personæ. Si simpliciter, ut cum nulla possit Matrimonium contrahere, hoc non potest esse, nisi quia impeditur à matrimoniali actu, quod quidem contingit dupliciter. Primo quia non potest de facto, sive quia omnino non possit, & sic ponitur impedimentum impotentia

coem-

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 555
coeundi ; sive quia non libere potest , & sic ponitur im-
pedimentum servitutis conditio . Secundo quia non lici-
te potest & hoc secundum quod ad continentiam obliga-
tur , quod contingit dupliciter , quia vel obligatur ex
officio suscepso , & sic est impedimentum ordinis : vel
ex voto emissso , & sic impedit votum . Si autem impedi-
tur aliquis a Matrimonio non simpliciter , sed respectu
alicuius personae : vel hoc est propter obligationem ad al-
teram personam : sicut qui uni Matrimonio junctus est ,
non potest alteri conjungi , & sic est ligamen Matrimo-
niu : vel quia deficit proportio ad alteram personam ; &
hoc propter tria . Primo quidem propter nimiam distan-
tiam ad ipsam , & sic est disparitas cultus . Secundo
propter nimiam propinquitatem , & sic ponitur triplex
impedimentum , scilicet cognatio , deinde affinitas , que
importat propinquitatem duarum personarum ratione
tertiæ Matrimonio junctæ , & publicæ honestatis justitia ,
in qua est propinquitas duarum personarum ratione ter-
tiæ per sponsalia junctæ , tertio propter indebitam conjun-
ctionem ad ipsam primò factam : & sic impedit crimen
adulterii prius cum ipsa commissi .

Q U A E S T I O II.

Quo jure , quis error , & quæ conditio dirimit
Matrimonium ?

DICO I. Error de jure naturali habet , quod
evacuet Matrimonium S. Th. in suppl. Q 51.
A. I. O.

Probatur : de jure naturali ad Matrimonium re-
quiritur consensus in hanc personam , quia Matrimo-
nium in fieri essentialiter consistit in consensu dua-
rum personarum vinculum Matrimonii inducente ,
atque error tollit consensum in hanc personam ; ergo
tollit esseuale requisitum ad Matrimonium , &
consequenter de jure naturali irritat Matrimonium .

Cum

Cum non consentiant, qui errent, quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit l. si per errorem 15 ff. de jurisd. lib. 2. tit. 1.

DICO 2. Oportet, quod error, qui Matrimonium impedit, sit alicujus eorum, quae sunt de essentia Matrimonii. Duo actu includit ipsum Matrimonium scilicet personas duas, quae conjunguntur, & mutuam potestatem in invicem, in qua Matrimonium consistit S. Th. in suppl. Q. 51. A. 2. Q.

Probatur: error impediens sive dirimens Matrimonium tollit consentum in hanc personam & in obligationem matrimonialem, atqui consensus in hanc personam & obligationem matrimonialem est de essentia Matrimonii, ergo error Matrimonium dirimens debet esse circa aliquid, quod est de essentia Matrimonii, cum quo stare non potest consensus Matrimonio essentialis: omnis enim error versans circa substantiam vel circa aliquid substantiale contractus omnem contradictrum ex jure naturae irritat, ut patet in venditione & emptione v. g. si quis emat cuprum pro auro, emptio & venditio est nulla: quia error est circa substantiam rei venditae; quia igitur error circa personam in Matrimonio est circa substantiam Matrimonii: quia proximum & substantiale objectum Matrimonii est ipsa persona, cum qua est contrahendum: hanc enim principaliter respicit contrahens; hinc error circa personam iure naturae irritat Matrimonium, idem est de obligatione essentiali Matrimonii.

Nec refert, an sit error antecedens, quia dat causam contractui: quia si non fuisset erratum, non fuisset contractum, an sit error concomitans & tantum incidens, qui non dat causam contractui, quia contrahens ita est animo dispositus, ut etiamsi non errasset, tamen contraxisset. Quia tam con-

comi-

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 557

comitans quam antecedens error auffert actuale voluntarium & sufficientem consensum ad contractum: cum nihil possit esse volitum, quin præcognitum & in hoc error antecedens tantum differt à conceonstante, quod error antecedens reddat involuntarium positivè, error autem concomitans solum causet involuntarium negativè seu non voluntarium, quod sufficit, ut adsit consensus actualis in talem personam.

Nec dicas, quod error circà personam in aliis Sacramentis non officiat valori Sacramenti: ut si quis baptizet filium Petri, quem putat esse Joannis.

Disparitas enim est, quod baptizans dirigit suam intentionem ad hunc præsentem, quicunque tandem ille sit, contrahens autem Matrimonium ordinariè suum consensum dirigit ad conceptam determinatam personam, quæ persona concepta si vere non adsit, non est consensus sufficiens ad Matrimonium.

Ex his infertur, quod error accidentalis sive circà aliquid, quod ad substantiam Matrimonii non pertinet, non irriter Matrimonium, nisi sit redundans in substantiam: quia ad valorem contractus Matrimonii satis est, si consensus sit circà substantiam corporum, quæ mutuò invicem traduntur, ergo quidquid est extrà substantiam corporum, accidentale est, nec invalidum potest reddere Matrimonium: quia Matrimonium substantialiter consistit in contentu voluntario personæ cum tali persona in individuo cognitâ ad traditionem mutuam corporum in usum generationis; hæc omnia subsistunt, licet sit error circà qualitates personæ in individuo cognitæ, est ergo validum Matrimonium, si quis ducat Titiam, quam putat vel dolosè deceptus credit esse nobilem, virginem, divitem, cum non sit.

Dixi:

Dixi: nisi error sit redundans in substantiam: tunc enim licet sit circā aliquid accidentale secundum se, est tamen respectu hic & nunc contrahentis error substantialis. Porro dupliciter error circā qualitatem redundant in substantiam personæ sive potius ipsius contractū matrimonialis.

Primo: si qualitas ignorata per se vel virtualiter vel expressè sit intenta à contrahente: ut si quis actu & expressè intendat non accipere hanc mulierem, nisi sit nobilis: tunc enim non subsistente tali qualitate Matrimonium est nullum: quia tunc qualitas illa est pars objecti principalis per se intenta, & est consensus in Matrimonium conditionatus: si est talis te duco; eadem est ratio, quando talis qualitas quamvis non actu & expressè in ipso contractu intendatur, tamen anteā contrahens habuit intentionem non aliter contrahendi, quæ intentione in ipso contractu virtualiter perseverat: ut si antehac declaravi, me nolle ducere talem, nisi sit nobilis & hoc animo non revocato actualiter contraham: quia tunc prior intentione, cum non sit revocata, & adhuc virtualiter duret, æquivalet intentioni sub condizione actuali, secus est, si tantum sit habitualis dispositio in contrahente: ut si vir nobilis ita animo esset dispositus, ut nunquam contraxisset Matrimonium cum hac, si scivisset vel advertisset hanc esse plebejam vel infamem: non enim attenditur in contractu voluntas habitualis sed actualis, nec inspiciatur aut consideratur, quid aliquis fecisset in aliis circumstantiis, sed ad id quod defacto fecit & voluit circā substantiam contractū, immo si talis habitualis dispositio non contrahendi, si talis qualitas esset nota, sufficeret ad irritandum Matrimonium, vix ullum in mundo foret validum: quoties enim sibi non improperant conjuges: si tunc scivissem te esse talem, nunquam duxissem.

Secun-

DE IMPEDIMENT MATRIM. & UNDE ORIAN. 559

Secundò : Error circa qualitatem redundat in ipsam personam , quando persona aliunde in se pro-
lus incognita alicui sub sola aliquā qualitate pro-
pronitur , ut contrahens sub conceptu talis qualita-
tis formet conceptum determinatæ personæ in in-
dividuo , cum qua vult contrahere , ut si quis non
nolcens filias Titi , consentiat contrahere cum filia
primogenitâ , non valeret Matrimonium , si sub-
stituatur alia non primogenita. *Ratio est :* quia li-
cet qualitas primogenituræ vel alia habeat se per ac-
cidens ad Matrimonium absolutè , si tamen per eam
designetur certa & ab hac , quæ jam adest , distin-
cta persona , ille error qualitatis redundat in perso-
nam , & æquivalenter est error personæ , ac facit ,
ut volens inire Matrimonium de facto non contrahat
cum illa , cum qua concepit & voluit : contrahere ,
aliud est , si contrahens aliundè formavit conceptum
talis determinatæ personæ v. g. novit hanc determi-
natam personam , quam putat esse divitem , vel cre-
dit deceptus esse filiam illius Comitis , & cum hoc
errore contrahit nunquam contracturus , si dolum
advertisset , Matrimonium valet , quia est error
circa qualitatem , quæ non redundat in substantiam
personæ , quia dicit personam , quam in individuo
novit , & quam ducere decrevit , etiamsi in qualita-
te accidentalí fuerit deceptus.

DICO 3. *Conditio servitatis ignorata Matrimo-*
nium impedit , Inon autem servitus scita S. Th. in sup-
pl. Q. 52. A. I. O.

Conclusio patet ex cap. proposuit 2. & cap. ad nostrā
4. de conjug. serv. lib. 4. tit. 9. & ulterius expli-
catur dicitur 1. conditio servitatis : nempe in uno
contrahentium , dum alter est persona libera , ut si
homo liber vel ingenuus contrahens putet & inten-
dat ducere personam liberam , revera tamen con-

III. Partis Theol. Schol. suppl. Na trahat

trahat cum servâ vel mancipio , Matrimonium est nullum , si autem servus re ipsa contrahat cum servâ vel ancillâ , quamvis reverâ putet , se cum libera contrahere , valebit Matrimonium , quia canones ponentes hoc impedimentum agunt de matrimonio , quod contrahit liber cum mancipio . *Dicitur 2.* ignorata : etenim si persona libera sciens alterius conditionem servilem eam sponte ducat , valebit Matrimonium , & què ac si servus cum ancilla contraheret , hoc impedimentum enim non est Juris naturalis , sed oritur ex Jure positivo : quia error circa conditionem servilem personæ , cum quâ contrahitur , non est circa substantiam vel qualitatem redundantem in substantiam personæ , ideoque ex Jure naturæ Matrimonium non dirimit , quamvis valde congruum fuerit , ut Ecclesia talia Matrimonia irritaret : quia est error circa qualitatem valde conducentem ad contractum , usum & finem Matrimonii : convenit enim ut conjuges & qualem corporis potestatem inter se invicem tradant ad finem generationis & societatis individualis , servus autem plenam sui corporis potestatem dare non potest , nec se valet obligare ad individuam vitæ societatem : cum in domini sui potestate maneat constitutus , à quo vendi , ad terras longinquas ablegari , domesticis officiis continuo occupari potest , non obstante vinculo Matrimonii , quod Juri quæsito domini præjudicare non potest .

Nec dicas : quod Matrimonium servorum repugnet Juri , quod habent domini in corpora servorum , consequenter illa corpora aliis validè attento Jure naturæ tradi non possint .

Contra enim est : quod domini non habeant Jus in corpora servorum , nisi in ordine ad obsequia , non verò quoad usum Matrimonii , unde traditio ad finem

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIANT. 561

met Matrimonii non repugnat Juri dominorum. Textus in can. dictum est 8. caus. XXIX. Q. 2. quo prohibentur separari servi, ubi legalis conjunctio fuit & per voluntatem dominorum, non probat leges civiles servorum baptizatorum Matrimoniu authoritate propriâ potuisse irritare, si fuerint sine voluntate dominorum contracta, sed tantum Ecclesiam leges illas irritantes aliquamdiu tolerasse, prælestim ob difficultatem eas abrogandi.

Q U Ä S T I O III.

Quo Jure & quale votum dirimat Matrimonium? Suppositis illis, quæ 2.2. Disput. XXXVI. Q. 1. dicta sunt & hic omnino recolenda.

DICO I. Votum simplex quamvis impeditat Matrimonium contrahendum... tamen... non potest Matrimonium per hoc dirimi S. Th. in suppl. Q. 53. A. 1. O.

Probatur ex cap. meminimus 3. & cap. consoluit 4. qui cler. vel vov. Matr. contrah. poss. lib. 4. tit. 6. in quibus disertè astruitur, quod votum simplex non dirimat Matrimonium, sed tantum impedit; idem reportatur in cap. rursus 6. eod. tit. Ratio est: quia votum simplex est tantum promissio, Matrimonium autem est actualis traditio, potest autem res uni promissa alteri validè tradi.

Obi. Qui non potest se obligare ad concedendum usum corporis, non potest validè contrahere Matrimonium; atqui voto simplici obstrictus non potest se obligare ad concedendum usum sui corporis, ut potè intrinsecè malum.

R. Distinguendo Maj. qui non potest se obligare ad concedendum usum sui corporis in actu secundum, non potest validè contrahere Matrimonium N. in actu primo & quoad ipsum Jus Con. responsio patet ex supra dictis, unde licet taliter contrahens pec-

cet mortaliter tum contrahendo : quia si non habeat intentionem consummandi Matrimonium , sic habere non debet , graviter decipit sponsam . Tum consummando Matrimonium : quia reddit sibi executionem sui voti impossibilem : tum denique etiam post consummationem petendo debitum . Attamen validè contrahit .

DICO 2. Omnes dicunt , quod sicut votum solemnne impedit contrahendum , ita dirimit jam contractum S. Th. in suppl. Q. 53. A. 2. O.

Ita definit Con. Trident. Sess. 24. de sacr. matr. Can. 9. si quis dixerit : clericos in sacris constitutos vel regulares solemniter professos posse Matrimonium contrahere , contractumque validum esse , non obstante lege ecclesiasticâ vel voto.... Anathema sit. Cujus doctrinæ cum nulla in aliquo Concilio origo inventiatur , sed semper ab Apostolorum temporibus tenax fuerit sancta Ecclesia , meritò eadem ab apostolica traditione descendisse creditur , juxta alias allegatam S. August. regulam : quod universa tenet Ecclesia , nec Conciliis institutum , sed semper recentum est , non nisi auctoritate apostolicâ traditum rectissimè creditur : solet autem communiter hujus impedimenti ista assignari ratio : qui se totum tradidit uni , non potest se obligare alteri , atqui religiosus per votum solemnne castitatis , corpus tradidit uni scilicet Deo , Ecclesia Dei nomine solemniter traditionem acceptante , ergo non potest illud corpus tradere alteri in Matrimonium , consequenter professio religiosa dirimit Matrimonium contrahendum .

At quo Jure votum solemnne castitatis Matrimonium contrahendum dirimat , acriter controvertitur in utramque partem .

Prima sententia , quæ communior est inter

Tho-

Thomistas, sustinet, votum solemne castitatis in religione approbatâ ex sua natura dirimere Matrimonium, pro cuius fundamento distinguunt solemnitatem voti in extrinsecam vel accidentalem, & intrinsecam vel substantialem, votum solemne extrinsecè est, quod habet ex constitutione Ecclesiæ ejusdemque supremi capitilis authoritate efficaciam, dirimendi Matrimonium: sic vota simplicia in societate JESU, per quæ aliqua membra ejusdem societatis nempe scholastici & coadjutores formati sunt veri religiosi, habent vim ad Matrimonium contrahendum dirimendum ex authoritate Ecclesiæ, ut constat ex Bulla, quæ incipit: a scđcidente Domino: data à Gregorio XIII. præfatae societati, & hæc vota absolutè simplicia & secundum quid sive extrinsecè solemnia dirimunt Matrimonium contrahendum ex solo Jure ecclesiastico. Econtrà juxta eosdem solemnitas substantialis voti est, per quam tanquam causam formalem votum sit solemne, & habet vim inhabitandi tam ad Matrimonium quam ad rerum temporalium dominium, & juxta D. Angel. constitit in perpetua & irrevocabili traditione voventis & acceptatione religionis approbatæ. Nam S. Th. in 4. sent. dist. 38. Q. 1. A. 2. Q. lâ. 3. itâ discutrit: *Votum dicitur solemne ex hoc, quod habet completam vim obligandi, ea enim quæ ad solemnitatem rei pertinere dicuntur, ei completum esse tribunt, votum autem cum essentialiter sit promissio: complementum sua virtutis accipit, uti & promissio, cuius quidem obligatio tunc completur, quando aliquis hoc, quod promittit, in præsenti dat, quodammodo ponens eum, cui fit promissio, in possessione corporali alicujus rei, unde habere possit, quod promittit, sicut si aliquis fructus agri promitteret & promittendo agrum daret, & similiter sacerdotium aliquod promitteret, & se in servum daret,*

Et ideo tunc votum solemnizari dicitur, quando aliquis presentialiter se dat Deo divinis servitiis mancipandum, quod quidem fit per ordinis sacri susceptionem & per professionem regula certe debito modo facta scil. in manus ejus, qui debet recipere. Et aliis circumstantiis servatis, quae secundum jura determinantur hucusque S. doctor, juxta quam doctrinam volunt votum solemne religionis consistere formaliter in actuali traditione dominii sui in manus Dei mediante aliquo vicem Dei gerente & traditionem acceptante, in quo votum solemne differt essentialiter & specificè à voto simplici, quod est simplex promissio, per quam non tollitur dominium vel habilitas ad contrahendum Matrimonium vel obtainenda bona temporalia, sicut enim homo se vendens potest à se dominum in seipsum abdicare & in empotrem transferre, ita in Ecclesia datur status religiosus, in quo non solum promittitur aliquid faciendum vel omitendum ad honorem Dei, sed etiam totum dominium personæ transfertur in Deum, ita ut jam Deus non titulo universalis dominii duntaxat, sed etiam particulari titulo religiosæ professionis sit religiosi professi dominus, & actus debiti Deo vi talis dominii sint præstandi secundum ordinationem illius, qui vices Dei gerit in tali religioso statu.

Hoc fundamento posito probant ex S. Th. votum solemne substantialiter ex sua natura Matrimonium dirimere, nam S. D. suppl. 3. p. Q. 53. A. 2. in arg. sed contrà. Hunc ponit syllogismum: qui facit votum solemne, contrahit Matrimonium spirituale cum Deo, quod est multò dignius, quam materiale Matrimonium, sed materiale Matrimonium prius contractum dirimit Matrimonium post contractum: ergo & votum solemne, quod magis explicat ibidem O. dicendo: quod votum solemne ex sui natura habeat, quod dirimat

Matrim.

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 565

Matrimonium contrahendum, in quantum scilicet per ipsum homo sui corporis amisit potestatem Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, & ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris Matrimonium contrahendo. Pro oppositâ tamen sententiâ

DICO 3. Votum simplex quoad Deum dicitur nos minus obligare, quam solemne, in his quae ad Deum spectant S. Th. loc. cit. ad I.

Eplicatur & probatur: ut votum solemne ex natura sua dirimeret Matrimonium, deberet ex natura sua importare obligationem inhabilitantem ad Matrimonium & non tantum ad omittendum sub peccato ea, quae voto contrariantur, sed consequens est falsum, quia neque importat illam inhabilitatem quâ votum: quia in tantum æquè Deo obligat votum simplex ac solemne; non etiam quâ solemne: quia solemnitas substantialis & essentialis voti castitatis in professione religiosâ est veluti quædam forma, per quam solemnizatur votum simplex, & viam ac robur accipit ad dirimendum Matrimonium sequens, sed illa solemnitas est ex sola constitutione Ecclesiæ, quia Pontifex Bonifacius VIII. interrogatus quod votum debeat dici solemne & efficax ad dirimendum Matrimonium subsecutum, in cap. un. de voto in 6. itâ respondet: nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesia est inventa... presentis declarandum duximus oraculo sanctorum, illud solum votum debere dicere solemne quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem apostolicam approbatam, cum ergo Pontifex itâ respondeat de solemnitate essentiali, cuius quasi effectus formalis est dirimere Matrimonium, ex declaratione Ecclesiæ constat, vo-

ti castitatis solemnitatem esse ex sola constitutione Ecclesiæ, & consequenter ex solo Jure Ecclesiastico dirimere Matrimonium.

Ad fundamentum oppositum responderi potest dominium illud, quod religio vel ordo religiosus nomine & vice Dei acquirit in religiosum per professionem, imprimis esse ex sola constitutione Ecclesiæ, deinde illud dominium non repugnare cum vinculo Matrimonii, sed cum statu matrimoniali subsistere posse, quantum est ex Jure naturæ, ut patet in servovelmancipio, in quem dominus dominium habet, quo non obstante validè contrahere potest Matrimonium, & in conjugib[us] post Matrimonium consummatum de mutuo consensu religioam profertibus; si ergo vinculum Matrimonii stat cum professione posterius emissâ, quare non stabit professio prius emissâ, quantum est de Jure naturæ cum vinculo matrimonii postea contrahendi. Videantur latius dicta 2.2. Disput. XXXVI.

Q U A E S T I O IV.

Quo jure consanguinitas dirimat matrimonium?

Nota 1. Convenienter describitur consanguinitas: vinculum Personarum, quæ ab eodem propinquo stipe descendunt per carnalem generationem; personæ ab eodem stipe descendentes sunt consanguinei, quorum alii sunt conjuncti in Lineâ paternâ, & hi in jure Civili dicuntur agnati; alii in Linea materna & hi speciali nomine vocantur à Civilistis cognati, similiter si duo fratres eundem patrem habuerint, sed diversas matres, vocantur fratres consanguinei, si eandem matrem sed diversos patres, vocantur uterini, si ex eodem patre & matre sint geniti, dicuntur fratres Germani, quamvis autem in successionibus hæreditariis sit facienda distinctio inter agnatos & cognatos,

inter

inter fratres Germanos seu duplicis vinculi & unilaterales, quia frater Germanus succedit fratri defuncto solus exclusus aliis fratribus ex uno tantum Parente sibi conjunctis, similiter agnati regulariter tantum succedunt in bonis feudalibus exclusis cognatis. Circa matrimonium tamen nulla talis distinctio adhibetur, sed æquè impedimentum dirimens est inter agnatos quam cognatos, inter fratres & sorores unilaterales quam inter fratres & sorores Germanos.

Nota 2. Consanguinitas distinguitur & explicatur per lineas & gradus, linea est ordinata connexio personarum ab uno stipite descendentium diversos continens gradus. Gradus est distantia personarum, quæ cognoscitur, quo intervallo consanguinei sibi invicem conjugantur, stipes est, ex quo linea ducitur & initium distinguendi gradus desumitur, sive est illa persona, à quâ reliquæ, de quarum cognatione qualiter, descendunt, & in qua tanquam communi radice & origine personæ consanguineæ conveniunt v.g. fratrum filii communem originem & parentem habent avum, qui respectu filiorum ex duobus fratribus est stipes. Linea consanguinitatis est triplex; Linea ascendentium nempe Parentum, Avorum cæterorumque progenitorum. Linea descendentium nempe Liborum, Nepotum cæterorumque genitorum, quæ utraque linea recta vocatur. Demum Linea Collateralium id est eorum, qui nec à nobis geniti sunt, nec nos ab ipsis, sumus tamen eodem sanguine propagati, quia unum communem Parentem habuimus, hæc Linea Collateralis iterum est duplex, æqualis, quando uterque ex consanguineis æqualiter distat à communi stipite: ut duorum fratrum filii; inæqualis, quando unus ex consanguineis est in remotiori gradu à communi stipite, quam alter: ut si filium ex fratre comparem cum patruo, cum patruus distet à communi stipite

te uno gradu, & ex fratre filius duobus gradibus;

Nota 3. Pro computandis gradibus consanguinitatis de jure Civili unica datur regula, quæ attenditur, dum agitur de divisione hæreditatis & similibus causis civilibus: quot sunt generationes inter personas, de quarum consanguinitate quæritur, tot sunt gradus: hæc Regula sumitur ex §. hactenus 7. instit. de grad. cognat. Lib. 3. tit. 6. Sed de jure Canonico statuntur tres regulæ.

1ma: in linea recta sunt tot gradus, quot sunt personæ usque ad stipitem exclusivè; vel tot sunt gradus, quot sunt generationes usque ad illam personam, de cuius cognitione quæritur.

2da: in Linea Collaterali æquali tot sunt gradus, quibus consanguinei distant inter se, quot gradibus quisque eorum distat à communi stipite.

3ta: in Linea collaterali inæquali tot gradibus distant consanguinei inter se, quot gradibus persona remotior à communi stipite distat.

DICO 1. *De lege naturali est, ut Pater & mater à matrimonio repellantur.* S. Th. in suppl. Q. 54.

A. 3. O.

Probatur: inter quos commixtio carnalis ad quam ordinatur matrimonium, est secundum se turpis & inhonesta, inter illos non potest ex ipsa natura rei consistere matrimonium, quo datur jus & potestas ad copulam carnalem; atqui inter Patrem & filiam, matrem & filium secundum se est turpis & inhonesta commixtio carnalis: quia ipsa natura etiam in brutis animalibus talem commixtionem abhorret, ergo de jure naturæ inter personas ascendentes & descendentes primæ lineæ nequit consistere matrimonium; quod probabiliter extenditur ad quoscunque ascendentes & descendentes in infinitum: cum omnes descendentes debeant ascendentibus honorem & reverentiam,

cui

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII & UNDUS ORIENS. 569

cui ob turpitudinem suam repugnat actus conjugalis, unde omnes Gentes bene cultæ quasi naturali instinctu talia matrimonia abhorruerunt & L. 53. ff. de rit. nupt. Lib. 23. tit. 2. dicitur expressè: *Nuptiae consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero Parentum liberorum vñs sunt, sive proximi sive ulterioris gradus sint, usque in infinitum.* & L. fin. ff. eod tit. Jure Gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium vel descendantium uxorem duxerit.

Non obest: quod conjunctio sanguinis in remotioribus non sit tanta, ut videatur repugnare conjunctio matrimoniali; quia obstat huic conjunctioni ratio principii, cum omnis ascendens sit principium, non quidem immediatum sed mediatum descendantis, cui proinde naturaliter honorem ac reverentiam debet.

Obi. Per matrimonium inter Parentes & Liberos potest haberi finis matrimonii scilicet generatio & educatione prolixi. Deinde in casu extremæ necessitatis, quo aliter conservatio generis humani non posset haberi, videtur ob bonum majus hoc matrimonium esse de jure naturæ. Ergo non repugnat juri naturæ.

& ad 1. *Licet* absolute per conjunctionem Parentum & Liberorum posset haberi finis matrimonii, quia tamen non potest haberi convenienter ob intrinsecam cum reverentiâ Parentibus debitâ repugnantiam, hinc repugnat juri naturæ Parentum & Liberorum in ordine ad talem finem obtainendum inseparabilis conjunctio.

Ad 2. dicendum, quod ad nissâ tali necessitate nequidem sit possibilis conjunctio matrimonialis inter Parentes & Liberos. Unde negatur suppositum, quod si sibi supersint ascendentes & descendentes, sit necessitas propagandi genus humanum.

DICO 2. *Commixtio sororum & fratum, quamvis antiquior compellente necessitate: tanto postea facta*

facta est damnabilior religione prohibente. S. Th. 2.

2. Q 1. a. 9. ad 3.

Explicatur & probatur Conclusio: Matrimonium inter Fratres & Sorores repugnat pudori ac reverentiae quam sibi invicem debent ob proximam conjunctionem in eodem stipite, à quo immediate descenderunt, ergo illud non valere est juris naturalis, nisi propter necessitatem, cum alio modo genus humanum propagari non poterat, ut factum in exordio mundi & post diluvium, alias extra casum necessitatis omnes gentes liberaliter educatae à tali conjugio tanquam inhonesto & turpi abhorruerunt, quia inter tales personas est naturalis pudor & reverentia cui adversatur actus conjugalis. Prohibentur etiam jure divino talia matrimonia ut constat ex Levit. 18.

Confirmatur ex cap. gaudemus 8. de divort. in quo Innoc. de infidelibus ad fidem conversis, qui in secundo vel tertio, vel ulteriore gradu sibi conjunctas feminas copularunt, respondet, quod fideles hujusmodi matrimonialiter copulati liberè possunt & licite remanere conjuncti. Ergò à contrario in primo gradu conjuncti in matrimonio remanere non possunt, non ob prohibitionem juris Ecclesiastici quod infideles non ligabat, neque ob prohibitionem juris divini positivi quod abolitum est, nec amplius viget in novâ lege; ergò ob prohibitionem juris naturalis, quo etiam infideles constringuntur.

Obj. Abraham duxit in uxorem Sororem suam ut patet ex illo Gen. 20. *Dixitque de Sarâ uxor sua: Soror mea est.* Quem verè locutum fuisse testatur S. Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 35. tom. 6.

R. Ex S. Aug. loc. cit. quod Abraham vocaverit Saram Sororem suam, non quod esset ipsi in primo gradu conjuncta, sed quia erat ipsius consanguinea.

Fra.

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 571

Fratres autem (inquit S. P.) sive Sorores generali nomine consanguineos vel consanguineas solere apud veteres appellari, scriptura testatur: nam Et Tobias dicit Deo, cum oraret, antequam misceretur uxori, Et nunc Domine, tu scis, quoniam non luxurie causâ accipio Sororem meam, cum esset illa non ex concubitu ejusdem Patris, nec ex eodem Matris utero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta. Et Loth Frater Abraham dicitur, cum Patrius ejus esset Abraham, ex qua vi vocabuli etiam Fratres Domini vocantur in Evangelio, non utique quos Maria Virgo pepererat, sed ex ejus consanguinitate omnes propinquii.

In secundo vero gradu lineæ transversæ cæterisque gradibus remotioribus non est matrimonium irritum jure naturæ sed solum Ecclesiastico: quia Ecclesia ultra prohibitionem juris naturalis alios adhuc gradus in consanguinitate & affinitate interdixit ex quatuor potissimum rationibus.

Primo ob reverentiam quam ob conjunctionem in sanguinis cognati sibi invicem debent.

Secundo ne, cum consanguinei & affines plerumque saepius & familiariis invicem conversentur, sub praetextu conjugii frequentius peccent.

Tertio ne naturalis amor ex consanguinitate vel affinitate ortus, si addatur amori & licentiæ conjugali, nimis faciat effrænem libidinem.

Quarto ut amicitiae vinculum non tantum inter consanguineos constet, sed per viam matrimonii etiam ad alios homines protendatur, ut ita confœderatio & Societas inter homines tanto melius conservetur, quare autem de facto Ecclesia ultra quartum gradum matrimonium cum consanguineâ non prohibeat. Ratio est: quod usque ad illum gradum plerumque inter homines duret consanguinitatis amicitia, ulterius autem

jam

jam deficiente sanguinis virtute raro alter alterum speciali amore tanquam consanguineum vel affinem prosequatur.

Q. 1. Qualiter cognatio spiritualis matrimonium dirimat?

R. Cognatio spiritualis orta ex Sacramento Baptismi vel confirmationis dirimit hodiè matrimonium inter personam suscipientem & Baptizatam, inter personam suscipientem & parentes personæ Baptizatæ, inter Baptizantem & Baptizatum & parentes Baptizati. Ratio Ecclesiæ talia matrimonia irritantis est: quia nempe tam ministrantibus Sacramentum Baptismi & confirmationis tanquam patribus spiritualibus, quam patrinis ad ea Sacraenta assistentibus secundum traditionem Ecclesiasticam magna reverentia debetur tum à Filiis ea Sacraenta accipientibus, tum à Filiorum parentibus carnalibus, ideo in Ecclesiâ constitutum fuit, ut illa cognatio spiritualis æquè ac carnis esset impedimentum dirimens matrimonium & quidem perpetuum, ita, ut, etiam si moriatur persona, ratione cuius cognatio spiritualis est contracta, v. g. Baptizatus vel confirmatus, non tamen extinguitur cognatio spiritualis compaternitatis inter Baptizantem vel patrinos ex unâ parte & parentes Baptizati vel confirmati ex alterâ parte. Videantur dicta Disput. XVIII. Q. 1.

Q. 2. Qualiter cognatio legalis matrimonium dirimat?

R. Cognatio legalis sive propinquitas personarum orta ex adoptione dirimit matrimonium Primo inter adoptantem & adoptatum & adoptati descendentes & hæc est quasi linea recta Secundo inter adoptatum & adoptatis Carnales Filios. & hæc est quasi linea transversa. Tertio inter uxorem adoptantis & adoptatum & hæc est affinitas. Porro adoptio est personæ extranea,

DE IMPEDIMENT. MATRIM. & UNDE ORIAN. 573

neꝝ, quæ scilicet non sit ex descendantibus in Filium vel Filiam nepotem vel neptem legitima assumptio, si persona, quæ assumitur, sit sui juris, & autoritate principis in potestatem & familiam adoptantis transferit, est adoptio perfecta, & appellatur arrogatio, quæ sola juxta plures cognationem legalem matrimonium irritantem inducit, si vero persona adhuc sub patriâ potestate existens autoritate inferioris Magistratū assumatur, est adoptio imperfecta, cognationem legalem matrimonium irritantem juxta eosdem non inducens. Hæc cognatio primitus à legibus Civilibus est inventa, ideoque nomen cognationis legalis contraxit, deinde per sacros Canones recepta & impedimentum dirimens matrimonii est facta. Quod impedimentum in linea transversa cessat dissolutâ adoptione, dicit enim Nicolaus P. in cap. un. de cognat. leg. lib. 4. tit. 1. 2. *Si quæ per adoptionem mihi Soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipsam nup- tia confitere non possunt.*

DISPUTATIO L.

De Ultimis impedimentis Matrimonii.

Q U A E S T I O I.

De Crimine & disparitate Cultus?

DICO I. *Homicidium & adulterium in aliquo casu impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractum.* S. Th. in suppl. Q. 60. a. 2. ad I.

Explicatur Conclusio: Impedimentum criminis est scelerata conspiratio, quâ conjux adhuc vivente suâ comparte cum tertiâ personâ de matrimonio ineundo cum criminis aliquo conspirat, ob quam nefariam conspirationem Ecclesia conspirantes ad matrimonium invicem contrahendum inhabiles reddit, ut hoc modo afferendo à delinquentibus spem matrimonii inter